

tur defuncti voluntatem, ob rationes et jura allegata cit. n. 77. et seqq.

725. *Refertur clausula in Bavaria præcipue usitata. Quidquid in vacuo testamenti spatio, vel in separata charta adjecero, volo, ut valeat, ac si ab initio testamenti fuisset insertum.* — Præter præfatam duplicem clausulam codicillarem Jura Bavarica *Land-Recht*, tit. XXXVII. a. 2. adhuc aliquam adducunt doctores illius tenoris, quo testator dicit: «Volo insuper, ut quidquid huic meo testamento, vel in vacuis foliis aut spatio ipsius testamenti, vel in scheda separata scriptis adjecero, valeat eodem modo, ac si prius jam huic testamento insertum esset.» De hac clausula ita disponunt jura Bavarica, quod nempe vi illius omnino valeat, totumque suum effectum habeat id, quod vel in vacuo spatio testamenti, vel quod in separata scheda scribitur, ipsique testamento adjicitur; dummodo constet de manu propria testatoris, vel totum novum textum aut dispositionem scribentis, aut ab alio scriptam saltem subscribentis, diesque et annus appositus sit, vel ubi de manu propria testatoris dubitatur, si per duos testes, qui ipsum testatorem in vacuis testamenti spatiis scribere, vel subscribere viderunt, probari possit. Qui testes insuper se subscribere debent, casu, quo non in vacuis testamenti scriptis spatiis, sed in separata scheda ulterior voluntas testatoris scribitur: nisi forsitan per notarium publicum fieret instrumentum testificans, quod testator in præsentia duorum testium similem schedulam scripserit, vel subscripserit; tunc enim valet, etsi testes non audiantur, vel jam mortui sint.

726. Hanc clausulam non solum jure speciali Bavarico, sed etiam communi Cæsareo procedere, effectumque suum sortiri, loc. cit. n. 3. bene probat Schmidt, citans Besold. et alios arg. l. *Si ita scripsero*. 38. ff. *de Condit. et demonstr.* ac insuper n. 5 et 6. defendit, quod vi hujus clausulæ valeat voluntas in vacuis testamenti spatiis, vel in separata scheda, scripta non tantum quoad legata, et fideicommissa particularia, sed etiam quoad hæredis institutionem, et immutationem, eo quod virtute relationis, quam supra citata clausula habet, quidquid ex post facto scriptum, et testamento adjectum fuerit, quasi ab initio factum, et testamento insertum censeatur; sitque pars illius testamenti, ejusdemque virtute, et non sua propria valeat; prout etiam in consilio Aulico ita deci-

sum esse refert, arg. cit. l. XXXVIII. *de Condit. et demonstr.* ubi dicitur, quod si quis in testamento dicat, se id velle dispositum, quod in codicillis, vel epistola, consequenter in separata scheda scripserit, valeat ex ipso testamento, seu vigore et virtute testamenti.

727. Nec dicas, testamentum quoad institutionem hæredis immutari non posse nisi per novum testamentum juxta dicenda n. 754. Resp. enim, id verum esse, nisi testamentum immutetur per scripturam subsequentem, quæ ipsius testamenti prioris pars, et de substantia, ipsius esse censetur; prout juxta dicta contingit in casu nostro. Verum hæc doctrina quoad instituendum, vel immutandum hæredem per similem schedulam, difficultate et controversia non caret; ut proin ad evitandum omne periculum melius faciat testator, quod, si mutationem hæredis in testamento facere vult, de novo aliud testamentum condat, juxta dicenda n. 754. et seq.

728. Cæterum admodum utilis, et præcipue quoad faciendam, immutandam, addendam, minuendam legata, et fideicommissa particularia, proficua est præfata clausula: ubi enim illa apposita non est, sine numero quinque testium legata, aut fideicommissa de novo fieri, aut immutari non possunt: cum e contra, ubi illa adest, duo testes, vel sola manus propria testatoris certa in Bavaria, et probabilissime de jure communi etiam alibi sufficiant, juxta dicta n. 726.

729. *Refertur clausula inutilis.* — Huc usque enumeratis clausulis aliqui etiam sequentem in testamento apponere solent: «Reservo mihi potestatem, hanc meam ultimam voluntatem semper revocandi, immutandi, addendi, vel detrahendi.» Verum cum cuivis hæc potestas de jure jam competat, arg. l. XXII. *de Legat.* 2. et l. IV. *de Adim. legat.* ex quorumdam stylo et consuetudine superflue addi videtur, uti bene observat Klingensperger, lib. II. tit. XXV. q. 6. licet non noceat, si addatur.

## § XXII.

DE IRRITATIONE, DESTITUTIONE, RUPTIONE, REVOCATIONE, AC MUTATIONE TESTAMENTORUM, AC ALIARUM ULTIMARUM VOLUNTATUM.

730. *Testamentum antiquitus lapsu decennii infirmatur.* — Quia testamentum, ac aliæ

limæ voluntates etiam rite confectæ multis nodis infirmari possunt, merito de his modis, postquam testamentorum naturam examinavimus, in præsentia nunc agimus. Ubi ante omnia notandum venit, quod licet antiquitus testamentum lapsu decennii, ipso jure uerit infirmum, tamen hodie jus antiquum in hoc passu sit correctum, adeo ut nullo tiam longissimo tempore testamentum aliquod infirmum aut nullum reddatur, textu claro l. *Sancimus*. 27. prin. et fin. C. h. t. bi: «Testamenta mortuorum per decennii ransursionem evanescere nullo modo patimur: prioribus constitutionibus, quæ super ejusmodi testamentis evacuandis latæ fuerant, penitus antiquandis.» Rationem reddit illis verbis. «Quod enim non mutatur quare stare perhibetur.» Unde pro regula generali ponitur prin. Instit. *Quibus modis testamentum infirma.* «Testamentum jure factum usque eo valet, donec rumpatur, irritumque fiat.»

731. *Irritari testamentum quid sit?* — Queritur I. Quid sit irritari testamentum? et quomodo irritetur? Resp. I. Irritari dicitur testamentum, quando non ex parte ipsius testamenti, sed testatoris accidens, defectus, vel vitium aliquod emergit, vi cujus testamentum prius validum infirmatur, et redditur nullum § 4. 5. et 6. Instit. eod. ubi etiam habetur, quod licet testamentum ex alio capite nulla, dicantur irrita: tamen «quia sane commodius erat, singulas singulis appellationibus distingui, ideo quædam non jure facta dicuntur, quædam jure facta rumpi, et quædam irrita fieri.»

732. *Capitis diminutione maxima, media, et minima irritatur.* — Resp. II. Testamentum præcipue irritatur, quando testator patitur status mutationem, seu ut jura loquantur, «capitis diminutionem,» nam «capitis diminutio est status mutatio,» prin. Instit. *de Capitis diminut.* ubi ulterius dicitur, quod capitis diminutio sit triplex, *Maxima* nempe quæ fit, cum quis libertatem amittit, et servus efficitur *Minor*, seu *media*, quæ contingit, cum quis civitatem amittit. *Minima* fit cum quis prius sui juris alterius jura subicitur, ut fit, si testator alteri arrogandum se tradit, prout amplius explicatur § 1. 2. et 3. Instit. eod. et l. I. ff. eod. Quavis autem ex dictis tribus capitis diminutionibus, si nempe testator, aut servus evadit; aut civitatem amittit; aut ab altero arrogatur, irritatur testamentum ipso jure, arg. § 4. Instit. *Qui modis Testam. infirm.* ibi: «Testamenta jure facta

infirmantur, cum is, qui fecit testamentum capite diminutus sit: quod quibus modis accidat, libro primo retulimus.» Concordant. l. *Si quis*. 6. § 5. et seqq. ff. *de Injusto rupto.* et l. *Conficiuntur*. 8. § 3. ff. *de Jure codicill.* Utrum autem testamentum ob capitis diminutionem irritum factum, maneat irritum etsi ante mortem testator recuperet pristinum statum, litigant legistæ. Negat cum aliis quibus Harprecht, ad § 4. Instit. *Quibus modis testam. infirm.* Affirmat cum quibusdam Raath, quorum sententia juri conformior videtur, arg. § 6. Instit. *Quibus modis Testam. infirm.* et l. X § 2. ff. *de Bonorum possess. secundum Tabul.*

733. *Destitui testamentum dicitur, quando nullus ex eo existit hæres.* — Queritur II. Quid sit destitui? et quomodo destituatur testamentum? Resp. Destitui testamentum dicitur, quando nullus ex eo hæres existit, arg. l. *In quantitate*. prin. 73. ff. *Ad Leg. Falcid.* ibi: «Ne destituito testamento,» et § 2. Instit. *Quibus modis Testam. infirm.* Quod dupliciter contingere potest, videlicet, quia institutus hæres vel non vult esse hæres, sed hæreditatem repudiat, vel ab ea abstinet, vel quia non potest, cit. § 2. Instit. eod. ibi: «Ideoque si quis aut noluerit esse hæres, aut vivo testatore, aut post mortem ejus, antequam hæreditatem adiret, decesserit, aut conditione, sub qua hæres institutus est, defectus sit, in his casibus paterfamilias intestatus moritur. Rationem subjungit: Cum nemo ex eo hæres existerit.»

734. *Si hæres non repudians hæreditatem, intra annum ad deliberandum concessum, decedat, transfertur jus adeundi hæreditatem ad hæredes.* — Notandum tamen, quod si hæres institutus hæreditatem non repudians, intra annum pro deliberando concessum decedat, jus adeundi hæreditatem ad suos hæredes transferatur, prout habet communior doctorum. Textu ad propositum valde claro, l. cum. 19. c. *de Jure deliber.* ibi: «Ideoque sancimus, si quis vel ex testamento, vel ab intestato vocatus, deliberationem meruerit: vel si hoc quidem non fecerit, non tamen successioni renuntiaverit, ut ex hac causa deliberare videatur etc. prædictum arbitrium in successionem suam transmittat, ita tamen ut unius anni spatio eadem transmissio fuerit conclusa.»

735. *Rumpi hæreditatem quid sit? Rumpitur nativitate legitimi hæredis.* — Queritur III. Quid sit rumpi? et quomodo rumpatur

testamentum? Resp. « Rumpi dicitur testamentum, cum in eodem statu, manente testatore, ipsius testamenti jus vitatur, » sunt verba prin. Instit. *Quibus modis Testam. infirm.* Tripliciter autem de jure rumpitur testamentum. Primo, si post conditum testamentum nascitur suus hæres legitimus, proles nempe legitima, l. *Posthumi.* 3. § 4. ff. *de Injusto rupto*: dummodo vivus, et verus homo in monstrum non declinans veniat in lucem; nam si vel mortuus editus est, vel vivus quidem, sed declinans in monstrum, natalitate sua testamentum non rumpitur, textu claro l. III. c. *de Posthum. hæred.* instit. ibi: « Sancimus, si vivus perfecte natus est, licet illico, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, nihilominus testamentum rumpi: hoc tantummodo requirendo, si vivus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium. »

736. *Et quando post testamentum quis testatoris efficitur hæres suus.* — Secundo rumpitur, si post testamentum conditum aliquis testatori suus hæres efficiatur, ut si filius naturalis post testamentum legitimetur, novell. 89. cap. XII. vel si ab ascendente quis in filium adoptatur, § 2. Instit. *de Adopt.* vel si quis a quoenque arrogatur, § 1. Instit. *Quibus modis Testam. infirm.* ibi: « Si quis enim post testamentum factum adoptaverit sibi filium per imperatorem, eum, qui sui juris, aut per prætorem, secundum nostram constitutionem, cum, qui in potestate parentis fuerit, testamentum ejus rumpitur, quasi agnatione sui hæredis. » Limitatur tamen in casu quo adoptatus, antequam adoptaretur, fuit in testamento institutus hæres; tunc enim testamentum in suo valore manet. l. XXIII. § *Si Titius.* ff. *de Liber posthum.* ibi: « Si Titius hæres institutus loco nepotis adoptetur, defuncto postea filio qui pater videbatur, nepotis successione non rumpitur testamentum ab eo, qui hæres invenitur. »

737. *Ac revocatione.* — Tertio rumpitur per revocationem, et mutationem. De quibus, quia speciales extant difficultates, specialiter.

738. *Quivis testamentum suum pro libitu revocare potest; etsi se obligaverit, quod nolit revocare.* — Queritur IV. An, et quomodo testator possit suum revocare, aut mutare testamentum? Resp. I. Potest testator usque ad mortem semper, et pro libitu suum testamentum vel penitus revocare, vel mutare.

Est extra controversiam apud Omnes arg. l. *Si quis.* 22. ff. *de Legat.* 3. Ratio redditur l. *Quod si.* 4. ff. *de Adim. legat.* ibi: « Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad supremum vitæ exitum. » Quod adeo verum est, ut nullo pacto, clausula, vel conditione a revocando, vel mutando testamento se ipsum impedire, vel ab alio impediri quia valeat, eo quod « nemo sibi eam possit dicere legem, ut a priori (voluntate) ei recedere non liceat: » prout habetur cit. l. *Si quis.* 22. ff. *de Legat.* 3. Concordantia Bavarica *Land-Recht.* tit. XXXIV. a. 25. et sequitur communis doctorum.

739. *Dummodo in secundo testamento mentionem faciat, quod non obstante tali obligatione velit revocatum testamentum potius.* — Notandum tamen, quamvis doctores conveniant, quod non obstante clausula derogatoria revocari possit testamentum, si revocans expressam mentionem facit hujusmodi clausulæ, dicendo v. g. « Licet testamento meo priori inseruerim, ac promiserim, quod illud non amplius revocare velim: » aut, « quod velit omnem revocationem, vel testamentum futurum contrarium irritum, nihilominus volo revocationem prius; aut volo valere hoc meum posterius testamentum. » Quamvis inquam, in hoc conveniant doctores tamen multum controvertunt, an etiam sine mentione prioris clausulæ derogatoria possit revocari, vel censeatur revocatum, seu ruptum, per posterius testamentum. Affirmat Bartolus, in l. *Si quis.* 22. n. 9. ff. *de Legat.* 3; Faber, Merend. et alii. Negat vero Fachin., lib. IV. cap. XXIX. Menochius, lib. IV. præsumpt. 166. n. 25. et 26. ubi plures alios citat, vereque asserit, hanc esse receptam et communem sententiam; arg. cit. l. *Si quis.* 22. ff. *de Legat.* 3. ubi postquam dictum est, neminem posse sibi eam legem ponere, quod a priore voluntate ultima ei recedere non liceat, statim subiungitur « Sed hoc ita locum habebit, NB. si specialiter dixerit, prioris voluntatis se pœnituisse. » Quibus sane verbis satis clare innuitur, requiri specialem mentionem clausulæ prioris derogatoria.

740. *Quæ tamen mentio necessaria non est, si secundum testamentum juramento confirmet testator.* — Limitatur tamen hæc doctrina communiter in casu, quo quis secundum testamentum juramento confirmavit: tunc enim merito præsumitur se pœnitere prioris voluntatis, etsi penitus nullam mentionem

faciat prioris testamenti, aut clausulæ derogatoriæ eidem insertæ. Covarruvias, *de Testam.* p. 2. rub. n. 59; Molina, disp. 153. n. 26. et communis aliorum.

741. *Qui juravit se non revocaturum testamentum revocare illud non potest.* — Major difficultas est, an revocari possit testamentum, quod se nullatenus revocaturum juramento confirmavit testator; legistæ communiter affirmant, ut videre est apud Clarum, § *Testamentum.* q. 94. n. 3; Alexander, in l. *Stipulatio hoc modo.* n. 5. ff. *de Verb. obligat.* ubi asserit, ita concludere omnes, Dauth, *de Mul. testam.* n. 89. et seqq. et alii. Id expresse statuitur in jure Bavarico, *Land-Recht.* tit. XXXIV. art. 15. arg. cit. l. *Si quis.* 22. ff. *de Legat.* Verum attendendo punctum juris; negativa, quod videlicet saltem licite revocari nequeat, videtur probabilior, quam tenet Glossa, in can. *Ultima voluntas.* 4. cau. 13. q. 2; Molina, disp. 153. et communior canonistarum, uti apud Clarum loc. cit. fatetur Albert. in l. I. c. *de Sanctis eccles.* arg. c. *Cum contingat.* 28. et c. *Si vero.* 8. *de Jurejur.*: ubi universaliter statuitur, omne juramentum, quod non vergit in præjudicium tertii, et quod sine dispendio salutis æternæ servari potest, servandum esse, etsi caderet, super actu legibus infirmato.

742. *Nisi gravis prius non prævisa emerget mutatio circumstantiarum.* — Aliud et cum legistis sentiendum foret, in casu, quo quis simpliciter juramento confirmavit testamentum, non item juravit, se non revocaturum: tunc enim libere, et absque omni perjurio illud revocare potest, eo quod solummodo censeatur jurasse, hanc revera suam esse voluntatem, non autem, quod eam revocare nolit; consequenter, cum quævis voluntas ultima revocari valeat, et juramentum non immutet, sed sequatur naturam actus, cui adjicitur, non obstante tali juramento eam revocare poterit testator; Imo etsi quis jurarit, se testamentum non revocaturum, potest illud revocare, si gravis crasam revocandi emergat; v. g. graves inter testatorem, et hæredem oriantur inimicitiae, eo quod juramentum sicut et cæteri actus tacitam habeant conditionem *rebus sic stantibus.* prout habet communis, arg. c. *Quemadmodum.* 25. *de Jurejur.* ubi expresse deciditur, quod licet quis jurarit certam ducere uxorem, eam ducere non teneatur, si post juramentum, mulier « illa meretrix, vel leprosa, aut paralytica fieret, vel oculos, vel

nares amitteret. » Potest autem testamentum verbis revocari, et facto: unde

743. *Nudis verbis revocari non potest testamentum, nisi elapso decennio fiat coram tribus testibus, vel apud acta.* — Queritur IV bis. An, et quomodo revocari possit verbis? Resp. Testamentum prius rite conditum revocare potest verbis. Ut autem revocatio nudis verbis facta valeat, duo copulative requiruntur. Videlicet I. Ut coram tribus saltem testibus, aut coram actis, seu apud acta fiat II. Ut elapsum jam sit decennium a tempore conditi testamenti: una ex his conditionibus deficiente revocatio verbalis est nulla, etiamsi coram viginti testibus et nescio, quia solemnitate fieret. Clarus, loc. cit. q. 94; Alexander, in l. XXVII. c. h. t. n. 8. cum communi doctorum claris juribus § 1. Instit. *Quibus mod. testam. infirm.* et l. XXVII. c. h. t. ubi præfatæ conditiones enumeratur illis verbis: « Si testator tantummodo dixerit, non voluisse prius stare testamentum, vel aliis verbis utendo contrariam aperuerit voluntatem, vel inter acta manifestaverit, et decennium fuerit emensum: tunc irritum est testamentum tam est contraria voluntate quam ex cursu temporali. » Ex quo colligitur, revocationem verbalem non adeo esse commodam; meliusque ac facilius agere testatorem, si facto revocet testamentum, uti patebit ex sequentibus.

744. *Jure Bavarico nudis verbis revocatur coram septem testibus, si testator dicit, se velle intestatum mori.* — Notandum hic est, de jure Bavarico nudis verbis coram septem testibus semper fieri posse revocationem prioris testamenti: dummodo addat testator, « quod sine testamento mori velit; » quo addito non obstante novum testamentum facere potest. *Land-Recht.* tit. XXXIV. a. 15.

745. *Idem aliqui de jure communi affirmant, alii probabilius negant.* — Idem de jure communi procedere, defendit Covarruvias, h. t. p. 2. Rub. 7. *Sexta conclusio*; Clarus, § *Testamentum.* q. 92; Mantica, *de Conject. ultim. volunt.* lib. II. tit. XIV. n. 18. et valde communis aliorum, arg. l. I. § *Si hæres.* ff. *Si Tabul. testam. nullæ ext.* Rationem dant; quia qui dicit, se velle intestato decedere, hoc ipso videtur instituire hæredes ab intestato. Verum quia textus l. *Sancimus.* valde clarus est, et sæpius in jure, uti l. *Militis.* 36. § *Veteranus.* ff. *de Milit. testam.* et § *Ex eo.* Instit. *Quibus modis testam. infirm.* repetitur, testamenta nudis verbis revocari non posse,

nisi adsint præscripta l. XXVII. c. h. t. juri conformior est sententia diceus, revocationem solam verbalem coram septem testibus factam non rumpere testamentum prius, etsi revocans addat, « se velle intestatum decedere, et ita tenent Fulgos, in cit. l. *Sancimus*. c. h. t.; Fachin, lib. IV. contr. 8. et alii: ut proin hoc passu differentia admittenda sit inter jus commune et Bavaricum.

746. *Facto etiam revocatur, seu rumpitur testamentum dupliciter; et quidem primo collatione, inductione, inussione, destructione, etc.* — Quæritur V. An, et quomodo facto revocetur testamentum? Resp. I. Omnino posse facto revocari testamentum, et quidem primo per cancellationem, deletionem, incisionem, lacerationem, inductionem, corruptionem, vel alio simili modo a testatore, vel ejus mandato, ab alio factam. Secundo per confectionem novi testamenti validi, prout patet ex sequentibus conclusionibus. Primo igitur facto revocari, et rumpi censetur testamentum scriptum cancellatione a testatore vel ejus mandato per alium consulto facta, textu clar. l. I. et II. ff. *de His que in testam. delent.* Est autem cancellatio ad propositam nil aliud, quam inducere calamum per medium scripturæ in modum crucis, sicque transversis seu cancellatis ductis lineis scripturam delere: ut notat Farin., *Crimin.* part. II. q. 153. n. 30; Calvinus, in *Lex. jur.* §. *Cancellare*. Idem est, si alia consimili ratione deletur, aut inducitur, arg. cit. l. I. ff. *de His que in Testam. delent.* Pariter revocatur facto, si testator testamentum, vel signacula incidat, auferat, destruat, vel laceret, aut alio simili modo corrumpat, arg. cit. *Juribus*. juncta l. penult. c. h. t. ibi: « Si testator linum, vel signacula inciderit, vel abstulerit, testamentum non valere. » et l. I. § 8. ff. *Si Tabul. testam. nulla extab.* ibi: « Si incisæ tabulæ, vel cancellatæ, vel si alia ratione voluntatem testator mutavit, voluitque intestatus decedere, dicendum, ab intestato rem habituros eos, qui honorum possessionem acceperunt. » Ratio horum est; quia ex hujusmodi actione sufficiens habetur signum mutatae voluntatis, arg. cit. l. penult. c. h. t. ibi: « Ut pote ejus voluntate mutata, » et l. II. § 8. ff. *Si tabul. testam. nulla ext.* ibi: « Quia testator voluntatem mutavit. »

747. *Si a testatore, vel ejus mandato ab alio consulto, non item, si fortuito fiat.* — Dicitur autem notanter in conclusione, si consulto

quia si fortuito, aut præter voluntatem testatoris cancellatio, incisio, aut alia deletio fiat, nullatenus revocatum, aut ruptum, censetur testamentum, dummodo hæres institutus adhuc legi possit. Omnes, textu clar. l. II. ff. *de His que in testam. del.* ibi: « Quæ in Testamento legi possunt, ea inconsulto deleta, et inducta, nihilominus valent: consulto non valent: id vero, quod non jussu domini scriptum, inductum, deletumve est, pro nihilo est, legi autem sic accipiendum, non intelligi, sed oculis perspicui, quæ sunt scripta, etc. Sufficit autem, si legibilia sint inconsulto deleta, sive ab ipso, sive ab alio, etc. Quod igitur incaute factum est, pro non facto est, si legi potuit, etc. Sed si legi non possunt, quæ inconsulto deleta sunt, dicendum est, non deberi: sed hoc ita demum, si ante consummationem testamenti factum est.

748. *Multum refert an cancellatio seu deletio fiat ante testamentum consummatum in ipsa factione, v. g. an vero post jam absolutum.* — Ubi propter ultima legis verba distinguendum cum doctoribus, et attendendum est. An deletio ante consummationem testamenti facta sit, vel illo jam consummato. Nam si ante ipsam testamenti factionem? vel dum actu illud scribit, aut scribi curat testator, scriptum aliquid consulto iterum delet, pro non scripto habetur: si inconsulto, valebit; dummodo legi possit: si vero legi non possit, invalidum erit, etsi aliunde intelligi queat, et inconsulto omissum sit. Ludwell., p. I. cap. x. fol. 172; Duaren., ad tit. *de Injust. rupto*. cap. v; Castrensis, et communis aliorum, arg. cit. l. I. prin. et §§ 1. 2. ac 3. ff. *de His que in Testam. delent.* Quod si post testamentum consulto fiat deletio, tunc testamentum non quidem statim ipso jure infirmatur, sed ope exceptionis infirmari potest, juxta communem l. I. § 3. ff. eod. ibi: « Exceptione repelluntur. » Si vero inconsulto, id, quod in deleta scriptura exprimitur, peti potest, sive legi possit, sive non; dummodo aliunde probabiliter possit intelligi: ita doctores citati, arg. *Sæpe*. cit. l. I. § 3. ff. eod. ibi: « Inconsulto vero, non repelluntur, sive legi possunt, sive non possunt. » Ratio diversitatis est; quod, si testator in ipsa factione aliquid ita delet, ut amplius legi nequeat; idque postea advertens non emendat, sed ulterius disponit, et testamentum absolvit, deletionem, seu cancellationem hoc ipso approbasse merito præsumatur; consequenter pro invalido tam a lege, quam a doctori-

bus juste reputetur: quæ ratio, quia non militat in deletionem post testamenti factionem contingente, mirum non est, quod aliter de ea et jura disponant, et doctores sentiant.

Et hæc præcipue quidem de cancellatione, vel deletionem totali testamenti; nam quid juris sit, si tantum ex parte cancelletur, seu deleatur, dabunt conclusiones sequentes.

749. *Si testator non quidem totum testamentum, sed tamen aliquid substantiale delet, rumpitur totum testamentum.* — Resp. II. Si testator non totum testamentum delet, seu incidit, sed tamen aliquid substantiale, sine quo ultima voluntas consistere nequit; ut si delet nomina testium, aut infringit, vel auferit sigilla; totum testamentum etiam quoad legata nullum est. Dauth., lib. XXI. c. h. t. n. 17; Struv., *Syntag. Jur. civil. exercit.* 33; Raath., disp. 37. et alii, arg. lib. I. § *Si hæres*. ff. *Si Tabul. Testam. ex Tab.* et l. penult. c. h. t. Ratio est, quia in tali casu merito præsumitur totam mutasse voluntatem, ac intestatum decedere voluisse.

750. *Pluribus existentibus hæredibus per deletionem unius non rumpitur testamentum; bene vero deletionem omnium.* — Resp. III. Si plures instituti sunt hæredes, et testator unius solummodo, vel alterius, non item omnium nomina delet, et cancellat, testamentum non rumpitur, sed manet in suo valore, ita tamen, ut tota hæreditas accrescat hæredibus non deletis. Si vero unus tantum hæres est institutus, et ejus nomen deletur: vel si plures, et omnium nomina delentur, testamentum quoad institutionem corrumpit, et datur successio ab intestato. Tota conclusio est communis, uti videre est apud Gilken, in l. XXX. c. h. t. n. 5; Castrensem, in l. III. ff. *de His, que in testam. delent.*; Mant., *de Conjectur. ultim. volunt.* lib. XII. tit. I. n. 34. et alios. Ratio prioris partis est; quia nemo partim testatus, partim intestatus docere potest l. *Jus nostrum*. 7. ff. *de Reg. jur.* Fundamentum posterioris desumitur ex legibus in casu deletionis huc usque citatis.

751. *Deleto nomine hæredum, probabiliter valent legata non deleta.* — Utrum autem deleto nomine omnium hæredum præter institutionem, etiam invalida sint legata non deleta, gravis est controversia inter doctores, Dauth. siquidem, Cujac. et plures alii in l. III. ff. *de His, que in Testam. delent.*, affirmativam tenent, arg. cit. l. III. ff. eod. ubi etiam ratio allegatur; quia nempe invalido existente testamento, etiam invalida sunt le-

gata, arg. l. *Ex Testamento* c. *de Fideicommiss.* E contra Ludwell., loc. cit. fol. 173; Castrensis, in cit. lib. III. ff. *de His, que in Testam. delent.*; Gilken, in l. XXX. c. h. t. et ibidem Brunne man cum aliis docent, legata non deleta nihilominus valida esse, et deberi, arg. cit. eadem l. III. ad finem, ff. *de His, que in testam. delent.* ubi rupto propter deletionem hæredis testamento, legatum deberi, deciditur. Nec obstat, quod ibidem sit sermo de speciali casu, quo libertas est legata: Nam contra est, quod ratio ibidem allegata universaliter de quovis alio legato procedat: videlicet, « quod in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius; » sunt verba legis. Pariter non obstat, quod n. 749. dictum sit, « deleta substantiali (quale est institutio hæredis) deleta etiam censori legata. » Nam contra est, quod limitetur præfata doctrina in casu, quo jura quid aliud specialiter statuunt, ut in præsentibus.

752. *Per deletionem unius legati, non censetur deletum alterum.* — Illud certum, et ab omnibus concessum est, quod deletio, vel cancellatio legatorum nihil obsit institutioni hæredum: sicut etiam deletio et cancellatio unius legati non destruat legatum deletionem aut cancellationem non affectum, per jura supra allegata, præsertim l. I. ff. *de His, que in Testam. delent.*

753. *In dubio testamentum consulto supponitur deletum, quando fuit asservatum apud ipsum testatorem, secus si alibi.* — Tandem præmittendum non est, quod in dubio an testamentum, vel pars ejus consulto, aut inconsulto deleta sit, consulto præsumatur deletum, si testamentum apud testatorem fuit asservatum, Ludwel, loc. cit. fol. 172; Mantica, loc. cit. lib. II. tit. I. n. 28; Zos., lib. I. cons. 2. n. 4; Salycet. Gilk. et Brunne man, ad 12. c. *de Testam.* Ex ea ratione, quod maxima circa ultimas voluntates proprias soleat esse solertia: ob cujus rationis defectum idem non præsumitur, si in aliena custodia asservatur testamentum. Doctores citati, et alii.

754. *Testamentum facto revocatur per posterius, etsi hoc non sortatur suum effectum.* — Quæritur VI. An, et quomodo facto revocetur testamentum per confectionem alterius? Resp. I. Certum est, quod testamentum etiam rite factum, rumpatur, et etiam revocatum censeatur per testamentum posterius legitime factum, etiamsi hoc posterius sunt